

Goële & vindice illo, qui juxta legem Domini absque liberis defuncti bona & hereditatem redimebat, Levit. XXV. 25. unde Christus Goël seu Redemptor appellatur Job. XIX. 25. Verbum ergò ἀγοράζειν & ἐξαγοράζειν propriè designat talem acquisitionem, quæ verum pretium præsupponit vel includit, adeoque satisfactoriam nostri redemptionem per Christum præstitam fortissimè adstruit. Nulla etiam nos efficax cogit ratio, ut desertâ vocis proprietate & usitatissima ejus significatione, ad improprietatem & infrequentiore illius significationem descendamus. Imò 1. Cor. VI. 20. & c. VII. 23. expressè dicimur ἠγορασμένοι τμησ pretio empti. Ad quæ verba rectè Grotius annotat loc. prior. Sensus est; inquit, Christus vos à peccatis redemptos sibi mancipavit, sed magno ei statis, morte ipsius cruentâ.

§. 8. Ex hætenus dictis constat; Christum per modum emptionis seu redemptionis interveniente pretio ab Execratione legis nos liberasse. Idem demonstrat verbum λυτρεῖν & ἀπολυτρεῖν, & hinc verbale λύτρωσις, ἀπολύτρωσις. Voces enim has à λύτρω, pretio descendere, atque ita vi originis talem importare redemptionem, quæ fit per interpositum λύτρον seu pretium, non verò ἀνευ λύτρου sine pretio, in confesso est apud omnes. Nec negat ipse Socinus Prælect. Theolog. c. 19. p. 573. Oper. Tom. I. Ast quod cum hîc, tum alibi Redemptionem propriam i. e. ἀπολύτρωσιν definit, liberationem captivi è manibus detinentis pretio detinenti dato, id nimis angustum est. Nam vocis & natura & usus non ad captivitatem solam restringitur, sed ad omne genus incommodi extenditur. Ut ita ἀπολύτρωσις seu redemptio propriè dicta, in genere sit liberatio alicujus ab incommodo quovis, captivitate, servitute, exilio, morte &c. intercedente λύτρω. Et licet quandoque in N. T. voces λυτρεῖσθαι, λυτρωθῆναι & ἀπολύτρωσις impropriè notent qualemcunque liberationem, etiam cui λύτρον non intercedit, ut Luc. XXIV. 21. Actor. VII. 35. Luc. XXI. 28 Rom. II. 27. Eph. IV. 30. Ipse tamen Socinus fatetur, & res ipsa docet, non esse nisi gravibus de causis à verborum proprietate recedendum. Indubiè